Exinde omnibus et singulis Palatinis Castellanis Capitaneis Proconsulibus Advocatis ac in universum alijs omnibus officialibus ac Senioribus quorumcunque contubernorum opificialium subditis nostris stricti præcipientes Mandamus ut non obstantibus diversis iurium sanctionibus quibus authoritate nostra Regia quoad effectum præsentium derogamus derogatumque esse volumus sub pœna Mille florenorum Hungaricalium Fisco nostro Irremissibiliter pendenda prædictum N. pro tali habeant reputent ac iudicent Atque in omnibus non solum publicis sed etiam privatis locis actionibusque pro tali haberi reputare ac censeri faciant nostram hac in parte authoritatem interponentes ut omnibus omnium conditionibus honoris et maiorum aliisque bonorum successione gaudere et potiri N. ac eorum gerendum Dignitatibus et officijs alijs omnium iurium prærogativis quae legitimo debentur toro Possit queat Harum etc.

Mandatum in non impedien civibus civitatis etc.

Magnifico N. etc. Sincere nobis dilecto gratiam nostram Regiam. Magnifice Sincere nobis dilecte. Delatum est ad nos per complures Regni nostri Consiliarios Sinceritatem tuam bono et commodo privato tam omnibus et singulis Equestris ordinis viris quam civibus et incolis civitatis nostræ N. privilegijs et libertatibus per olim Serenissimos Reges Poloniæ Prædecessores nostros civitati eorum concessis et per nos confirmatis [illegible] animo deliberato statuunt et ordinant ne vestrum ab oenopolis vina et varij generis potus vicinantibus aliisque alijs permutantibus et pro libitu arbitrioque suo verum exponentibus plures aeque tam equestris quam plebei defraudarentur reluctari ac opponere velle. Quod laudabile Proconsulis et Consulum N. factum dotatum Iuribus et Privilegijs in communem cedere utilitatem subditorum nostrorum omnium iudicamus Sinceritati tuae Mandamus non aliter fieri volentes ut ne tam utili Proconsulis et Consulum Civitatis nostrae N. facto contrarium se praestet verum etiam authoritate sua promoveat et promoveri curet. Aliter pro gratia nostra Sinceritas tua non faciat. Datum etc.

Consensus cum adultalitate

Notum facimus etc. Animadvertisse nos in Generoso N. Secretario nostro et Aulico non solum singularia quaedam naturae ingenijque bona sed etiam praeclara apud exteros homines quaesita institutionis ornamenta quarum quidem rerum opera actiones et ornatus ita nobis adhuc operam navavit ut observantiam et fidem suam nobis praeclare probaverit. Eum itaque et remunerare